

16.

Viro,
Dum viveret

Magnifico, Nobilissimo Amplissimoque

DN. SIMONI SCHULTZIO,

Inclytæ Reipublicæ Thorunensis

Proconsuli gravissimo,

Seniori

Seni venerando & de patria præclarissime merito,

Cum

d, xv. Jun. anno cicioccviii.

Rebus mortalium placide esset exemptus,

Solenni exquiarum die

qui erat XXI eiusd. mensis

justa persolvere, lugentesque solatio erigere
voluerunt

Rector & Professores Gymn. Thor.



T H O R U N I I,

Impresi. Johannes Conradus Rûgerus.

engels

Deleri non posse monumentum,
Quod nec scriptum nec sculptum,
Sed comparatum
Consilio & virtute,
hic discite Viator!
Est illud in animis gratorum, indelebilibus ipsis:
Vbi exurgit, quicquid reconditur,
obruitur vtili & multa,
Sistitur & concrevit corporis compages, etiam in pulverem dilapsa.

Qui talem invenit tumulum,
non obruitur mole,
sed superstes est & latere non potest.
Ejusmodi in patria invenit,
quam sibi in vita devinxerat
Consilio & virtute,
Venerandus Senex,

Vr
Magnificus, Nobilissimus atque Amplissimus,
Dominus,

SIMON SCHULZIUS,
Proconsul in Regia civitate Thorunensi
longe gravissimus meritissimusque,
virilem prudentiam in inventute anticipavit,
anticipatam in aetate virili auxit,
in senectute retinuit constanter.
Secretiora urbis negotia palam expedivit,
Sive in curia sive in aula
nunquam incuria.

In explicandis implicatis valuit eius consilium,
in ambiguis nunquam ambiguum,
virtutibus praeterea eminuit vere consularibus,
Pietate, justitia & fide.

Primum parandi honoris augurium & linea erat
Deo parere,

Sic e difficili fortuna ad summam in patria evehctus.
Praeficitur ei, quae ipsum, & ipse se illi probaverat.

Minus facile est iudicare,
an dignitati magis contulerit ipse dignitatem,
an dignitas ipsi.

Cui Nihil vani affricuit negotiorum vanitas,
nihil injusti iniuria,
quam toties in aliis debellavit
justitiae Vindex.

Suffragia ferebat nec perplexa nec flexa.
plura facere, pauca dicere
ingenium alioquin indicium & probi.

Hic cum tacebat, proderat,
meditabatur oracula, cum tacebat,
fundebat, cum loquebatur.

Esse sic magis ducebat utilis, quam videri.
gravissimis comitiorum negotiis,
quoties intererat, versatus ita
ut ex voto patribus satisfaceret.

Prospexit multis, cum prospiceret multa,
& prudentiam ad praecavenda futura adhiberet.

Num seni gerenda Respublica sit?
ambiguam Philosopheri disceptationem
sine ambagibus vivo exemplo composuit.

Magno

Magno natu cum esset beatus Senex,
non sibi soli sed patriae cum primis natum se esse declarabat.

Languente corpore, iudicio acer & firmus,
Acie oculorum ingenii acies compensabat.

Constitatus podagricis doloribus
cum suo adesse non posset corpore, animo adfuit.
Pedes cum negarent officium, mente discurrit,
& se in publica dispensabat bona.

Alter ut Cato Romae, ut Aristides alter Athenis.

Vires ut ut frangeret corporis morbus,
non voluntatem agendi,

Robur principi parti constans,
qua constat consilium.

Velut Mercurii statuatae,

Senili habitu, pedibus manibusque truncatae efformatae
ab antiquis,

inopes membrorum, non consilii.

Sic senibus valetudinis & corporis dispendia
virtutum instrumenta.

Consenuit fato Beatus

in cura sacrorum & pauperum.

In utraque nihil praemii lucratus,
plus accepit, quam dari hic potest.

Coelum ipsum ei tanquam foenus cessit largissimum.

Quod ut sero peteret, serio petebant, quos adiuvabat.

Omnium animae, ut sero ageret animam, efflagitabant,

Omnium suspiria, ut expiraret sero, expetebant.

At non opportuna dissensio voti sui & tuorum

Horum, paullo Tibi acerbius,

Tuum ipse,

Tui damnatus,

aeternitatem adis, Beate,

magno Tui omnibus Desiderio & dolore relicto.

At,

mitigat dolorem, auget tuum honorem,

Quod Tibi, tempori & gloriae superstes sis,

etiam ex oculis sublatus,

aeternumque habeas monumentum,

tum demum, cum animi, in quibus vivis,
transiturum.

Transi iam Viator!

Felicitatem Beato, si potes maiorem,

tibi simile monumentum,

precare.

Honoris & observantiae c.

l. mque dabit,

M. P. JENICHIUS.

Est tristis Patriae facies, & tristis in ago,
Quae perimunt nostrum non sine clade decus.
Eheu quam dolui cum vidi climata nuda
Gramine, frumento, multiplicique bono!
Eheu quam dolui steriles campos & inanes,
Combustos pagos, prataque vasta simul!
Eheu quam dolui querulorum vota virorum,
Queis Mars non parcat; mors quoque busta parat!
Sunt haec, sunt nostri praesentia fata doloris,

Illustres

Illustres clades, & mage mœsta quies.
 Plura stylus calamusque miser non scribere svadet.
 Mentibus ah nostris commemoranda vigent?
 Ast Urbem nostram non infimus afficit æstus
 Iræ divinæ, cum gemebunda gemit,
 Et calidis lacrimis deplorat fata maligna,
 Queis nunc succubuit gloria magna soli,
 SCHULZIUS est nostræ dulcissima portio vitæ.
 Proconsul Senior Magnificusque Pater,
 Quem raptum jam Templâ doient, quem curia plorat,
 Quem cives lugent, quem Schola nostra gemit.
 Namque suo moriens pariter cum funere condit
 Proh dolor, ingenii pignora rara sui.
 Queis urbi nostræ multos feliciter annos
 Profuit & pepulit noxia damna procul.
 Sed quid opus luctu? Nunquam revocabitur inde,
 Gaudia ubi semper mille beatus habet,
 Inter ælicolas a Salvatore benigno
 Nectare potatur, pascitur Ambrosiâ.
 Sed Tu sancte DEUS durum cohibeto flagellum
 Et Patriæ Patres sint in amore tuo,
 In Nato virgeat virtus virtutis avitæ,
 Claraque defuncti vivat inago Patris!

Paucis hisce
 Ultimum Officii genus e Præfisco
 itinere redux exsolvit.
 M. MARTINUS Böhlm

Omne rarum charum.

Charlus haud aliquid mortalibus esse putatur,
 Quam si quis felix vivat in orbe diu.
 In promptu ratio est: quoniam rarissima vita
 Humano generi longior esse solet.
 Maxima pars hominum, vix dum florescere cœpit,
 Immiti mortis falce perempta cadit:
 Et juvenes passim rapit inclementia fati;
 Seraque quos oprant secula, prima necat.
 Ast bene de Patria meritis Proconsul iniquo
 In mundo vixit sat bene satque diu.
 Vidit enim Proavus, quod rarum tempore nostro,
 Neptis in amplexu pignora chara suæ.
 Hinc veterum rerum promus condus, Patriæque
 Annos per multos luxque decusque fuit.
 Officiis dextre functus fuit omnibus Ille,
 Virtutis causâ Curia quæ tribuit:
 Quod prudens, comis, justus, sincerus, apertus,
 Candidus in primis, atque suavis erat,
 Hinc celebrer, doctus, consultus juris & æqui
 Vir merito cunctis charus in urbe fuit:
 Qui Magnum lugent funesta morte peremptum,
 Et desilent tristes ore gemente Virum.
 Charior at fuit ille Deo qui morte ministra
 Confectum senio iussit adire polum,
 Curarum postquam variarum, satque laborum,
 Et cum privatis publica fatâ tulit.
 Felix, qui Senium sic mutat morte beata:
 Namque perit Senium, vitæque morte redit.

L. Scr.
 M. MARTINUS BERTLEFFIUS P.P.